

CAPUT VI.

DE MISSIS PRO DEFUNCTIS IN SPECIE.

§ I. — *De Missis in Missali Romano signatis.*

968. Quatuor in Missali Romano Missae de Requite habentur, quae tamen non nisi quoad Orationes, Epistolam et Evangelium inter se differunt.

969. In Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, — Haec Missa dicitur die 2 Novembris non impedita, in Commemoratione omnium Confratrum nostrorum defunctorum post festum S. P. N. Francisci, similiter prima die non impedita, et in depositione, die tertio, septimo, trigesimo et anniversario Summi Pontificis, Cardinalis et Episcopi.

970. Nihil immutetur in hac Missa praeter Orationes, quae tum pro Papa, tum pro Cardinalibus et Episcopis propriae sunt, et inter Orationes diversas pro Defunctis in Missali inveniuntur.

971. In sepultura Sacerdotis dici potest haec eadem Missa, vel etiam Missa sequens in die obitus, dummodo Oratio *Deus, qui inter apostolicos*, omnino adhibeatur¹.

972. In die obitus seu depositionis Defuncti. — Dicitur haec Missa in die obitus vel depositionis, et tempore intermedio a morte usque ad sepulturam inclusive.

¹ S. Rit. C. 29 Ianuarii 1752, ad 14.

973. Dicitur etiam cum primus accipitur nuntius de obitu alicuius.

974. Item in die tertio, septimo et trigesimo depositionis Defuncti, exceptis Orationibus, quae habentur in Missali post eandem Missam in die obitus.

975. In anniversario Defunctorum. — Haec Missa dicitur in primo anniversario et subsequentibus, si Missa sit fundata vel petita, dummodo dies sit vere anniversarius mortis.

976. Si Missae praedictae in proprio die liturgice impeditae, in proximum diem non impeditum transferuntur, vel anticipantur, dicuntur sicut in proprio die sine ulla mutatione in Orationibus etc.¹. Si vero pro libitu transferuntur vel anticipantur, dicitur Missa quotidiana.

977. In Missis quotidianis Defunctorum. — Missa quotidiana dicitur quoties privatim vel etiam publice et cum cantu extra praedictos dies pro Defunctis celebratur, et in anniversariis, quae extra verum diem mortis peraguntur.

978. Si cum cantu et populi concursu celebretur, dicitur cum unica Oratione; alias vero cum tribus Orationibus in ipso Missali assignatis.

§ II. — *De Missa privata pro Defunctis.*

979. Missa privata pro Defunctis, i. e. ex privata devotione extra Exequias, celebrari potest diebus, quibus fit Officium de ritu simplici vel semiduplici, et in

¹ S. Rit. C. 22 Dec. 1753, in Wilnen. ad 2.

Ecclesia, quae eodem die eandem Missam ex proprio Calendario non excludit ¹.

980. Hoc idem valet etiam de Missa privata solemniori, i. e. cum apparatu et pompa exteriori et magno populi concursu.

981. Excipiuntur tamen, etiam praesente cadavere, omnes Dominicae ², Octavae privilegiatae Nativitatis, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes, cum respectivis Vigiliis, et SS. Corporis Christi; Feria IV Cinerum, Hebdomada maior, et quando expositum est SS. Sacramentum ³.

982. Cum SS. Sacramentum sit expositum ex causa privata, Missa privata de Requie dici nequit ad Altare expositionis: cum vero sit expositum ex causa publica, prohibetur ad omnia Altaria Ecclesiae ⁴.

983. Ab his regulis generalibus variae dantur exceptiones. Potest Sacerdos, qui Officium duplex persolvit, celebrare Missam privatam de Requie in Ecclesia, quae eo die talem Missam permittit, et in qua funebre agitur Officium cum solemnitate et populi concursu, aut fiunt Exequiae, praesente cadavere vel die anniversario ⁵.

984. In Exequiis pauperum dici potest Missa privata de Requie praesente cadavere in festo duplici, dummodo festum non sit duplex primae aut secundae classis,

¹ S. Rit. C. 9 Iunii 1668, in Conversana: et 7 Maii 1746, in Varsavien. ad 13.

² Rubr. Miss., t. V, n. 2.

³ S. Rit. C. 29 Ianuar. 1752.

⁴ Ita ex Rubr. et Decretis.

⁵ S. Rit. C. 11 Iunii 1701, in una Tertii Ord. S. Francisci, ad 1: 29 Ianuar. 1752, in una Ord. Carmelit. Excalc., ad 11: et 3 Martii 1866, in una dubiorum, ad 3.

neque dies inter Octavas privilegiatas, aut festum de praecepto, aut dies festa duplicia excludens, aut SS. Sacramentum ex publica causa sit expositum ¹.

985. In Ecclesiis ruralibus, ubi non raro desunt Cantores, dici potest Missa privata de Requie ex testatoris mandato, recurrente eius die emortuali, si agatur de festo duplici minori ².

986. Si celebranda sit Missa privata pro Defunctis die quo Missa de Requie prohibetur, dicenda est Missa de die vel festo currenti, cum applicatione Sacrificii pro Defunctis. Et hoc sufficit ad satisfaciendum obligationi celebrandi Missam privatam pro Defunctis ³, et ad lucranda Indulgentiam Altaris privilegiati ⁴.

987. Sacerdos, die quo licet celebrare Missam privatam de Requie, suae obligationi satisfacit, celebrando Missam diei vel festi ⁵, nisi testator aut dans elemosynam expresse Missam de Requie exigat. Congruentius tamen in casu dicitur Missa de Requie.

988. Ad lucranda vero Indulgentiam Altaris privilegiati sive personalis sive localis, necessario dicenda est Missa de Requie in diebus, quibus Missa privata de Requie permittitur ⁶.

¹ S. Rit. C. 11 April 1840, in Viterbien.: et 22 Maii 1741, in Mechlinien. ad 6.

² S. Rit. C. 19 Iunii 1700, in Curien. ad 9.

³ S. Rit. C. 27. Aug. 1662: et 29 Nov. 1856.

⁴ Ibid.

⁵ S. Rit. C. 5 Aug. 1662: et 12 Septemb. 1840, ad 7.

⁶ S. Rit. C. 27 Aug. 1836, in Rhedonen.: et 22 Iulii 1848, in Bellicen.

§ III. — De Missis de Requie privilegiatis.

989. Missae privilegiatae de Requie, quae aequi-
parantur votivis solemnibus et ideo celebrantur sub
ritu duplici cum unica Oratione, dicuntur illae, quae
pro Defunctis cantari aut dici possunt diebus, quibus
Missae de Requie prohibentur. Et sunt sequentes:
Missae de die obitus, de die tertio, septimo, trige-
simo et anniversario, ac cum primo habetur nuntius
obitus alicuius.

990. Missa in die obitus praesente cadavere per-
mittitur in Dominicis etiam primae classis, uti Domi-
nica Palmarum; et in duplicibus primae classis, etiam
festivis de praecepto¹, dummodo non celebrentur cum
magno populi concursu et exteriori pompa². Prohibetur
tamen Dominicis Paschae et Pentecostes; festis Nati-
vitat^{is} Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Chri-
sti, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. M. V.,
Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, SS. Apo-
stolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum; et apud
nos, S. Patris nostri Francisci; Dedicationis Ecclesiae
propriae, et eiusdem Titularis³, ac Patroni principalis
loci; Feria V, VI et Sabbato Hebdomadae maioris;
et diebus in quibus manet expositum SS. Sacramentum
pro publica causa.

991. Si cadaver adhuc manet insepultum sed non
praesens, Missa in die obitus prohibetur etiam in omni-

¹ S. Rit. C. 29 Ianuar. 1752.

² Rit. Roman., de Exequiis.

³ S. Rit. C. 27 Februar. 1882.

bus duplicibus primae classis licet non festivis de prae-
cepto, uti ex. gr, sunt in pluribus locis Feriae secunda
et tertia Paschae etc.

992. Ubi autem cadaver vel ex civili vetitu aut ob
morbum contagiosum deferri ad Ecclesiam, aut expo-
situm teneri non permittitur, censi potest uti phy-
sice praesens licet nedum insepultum, sed etiam tumu-
latum sit, dummodo non ultra biduum ab obitu: et in
casu Missa cum cantu celebrari potest quoties prae-
sente cadavere permittitur¹.

993. Attamen Missa istiusmodi sive non praesente
sive praesente cadavere, omnibus Dominicis et festis
de praecepto etiam dispensatis, aut in Dominicam se-
quentem translatis quoad forum, sive primae sint sive
secundae classis, prohibetur in Ecclesiis ubi unica tan-
tum celebratur Missa, ne impediatur Missa conventualis
aut parochialis².

994. Missa de die obitus corpore iam sepulto vel
eodem die vel etiam pridie, quin Missa exequialis ce-
lebrari potuerit, dici potest in duplicibus etiam maio-
ribus, in Feriis, Vigiliis et Octavis privilegiatis praeter-
quam in supra exceptis. Hinc dici potest primis tribus
feriis Hebdomadae maioris, quatuor ultimis infra Octa-
vam Paschae et Pentecostes, in Vigilia et per Octavam
Epiphaniae, et etiam in Vigiliis Nativitatis et Penteco-
stes, dummodo non impediatur Officium publicum diei.

995. Anniversaria, seu Missae cum cantu pro De-
functis, sive fundata a testatoribus pro die obitus aut
alia determinata die, sive privata ad petitionem viven-

¹ S. Rit. C. 13 Februar. 1892.

² Rit. Roman., de Exequiis.

tium, dummodo pro die obitus, ex recentissimo Decreto SS. Rituum Congregationis ¹, prohibentur tantum in duplicibus primae et secundae classis, in Dominicis et festis de praecepto, infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes, et SS. Corporis Christi, nec non Feria IV Cinerum, in maiori Hebdomada, in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, sicuti et tempore expositionis sollemnis SS. Eucharistiae in respectivis Ecclesiis.

996. Dicta anniversaria si in diem impeditum incidant, vel in primam diem liberam transferri possunt, vel in antecedenti similiter libera anticipari: dies autem liberi ii sunt, qui in superius recensitis non comprehenduntur.

997. Quod de diebus anniversariis pro Defunctis statuit, Sacra Congregatio declaravit extendendum esse quoque ad dies 3, 7 et 30 ab obitu, sive quoad celebrationem Missae de Requie cum cantu, sive quoad translationem.

998. Denique eadem Sacra Congregatio declaravit diem anniversarium pro Defunctis, nec non dies 3, 7 et 30 tam a die obitus quam a die depositionis computari posse. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

999. Ut Missa pro Defunctis attamen dici possit diebus supra nominatis, advertendum est, requiri 1° ut cum cantu celebretur; 2° ut una tantum pro eodem Defuncto eadem die in eadem Ecclesia celebretur. In alia Ecclesia, servatis servandis, eadem die alia Missa de Requie pro eodem Defuncto dici poterit.

¹ S. Rit. C. 2 Dec. 1891.

1000. Anniversarium fundatum, sed nulli determinato die affixum, non nisi in ipsamet die obitus testatoris privilegio ut supra gaudet; extra eum diem vero, tantum ut Missa privata diebus liberis (vide n. 979) cantari aut dici potest.

1001. Si Anniversarium pro pluribus fundatum sit, sufficit ad privilegium, ut sit dies obitus alicuius ex ipsis.

1002. Missa, cum accipitur primus nuntius de obitu alicuius de gremio familiae, Congregationis etc., in loco dissito Defuncti, in primo die non impedito ¹ dici potest ut in die obitus, iisdem diebus ac praedicta anniversaria fieri possunt ². Si autem haec Missa ultra tres dies post acceptum nuntium (nisi sint liturgice impediti) differtur, amittit privilegium, et non nisi ut Missa privata diebus liberis cantari aut dici poterit.

§ IV. — De Missa solenni de Requie.

1003. Frons Altaris maioris, in quo Missa de Requie celebratur, obtegatur pallio nigro sine Cruce alba, et Tabernaculum, si adsit Sacramentum, velo violaceo. Praeter sex candelabra cum cereis, inter quae Crux emineat, nihil aliud in ipso collocetur.

1004. Missae solennes de Requie, in quibus apud nos incensum dari potest (etiamsi non cantentur cum Ministris paratis), sunt Missae in die Commemorationis omnium Defunctorum post festum omnium Sanctorum, Commemorationis omnium Confratrum nostrorum de-

¹ S. Rit. C. 27 Martii 1779, ad 2.

² S. Rit. C. 4 Maii 1686, ad 2: et 27 Martii 1779, ad 3.

functorum post festum S. P. N. Francisci, et in diebus obitus Confratrum, minime vero in die septimo, trigesimo ac anniversario.

1005. In Missis solemnibus de Requie Celebranti Caeremoniarius adsistit, et incensum datur ad Offeritorium, quod est de praecepto ¹; fit ut in aliis Missis solemnibus, ast in fine solus Celebrans incensatur et non alii ². Ad utramque elevationem sacrae Species ab Acolyto incensantur. Ubi Caeremoniarius haberi nequit, servantur quae num. 677 dicta sunt.

1006. In impositione thuris et traditione cochlearis et thuribuli omittuntur consueta oscula ³;

1007. Celebrans in fine Missae descendit in planum per gradus in cornu Epistolae, et ad credentiam assumit Pluviale, aut simpliciter deponit Casulam et Manipulum ad faciendam Absolutionem.

CAPUT VII.

DE MISSIS IN ORDINE NOSTRO SOLEMNIBUS.

§ I. — De Missa conventuali et solemnibus.

1008. Regulares Choro adstricti tenentur in eorum Ecclesiis quotidie celebrare Missam Officio diei convenientem ⁴, non tamen cum cantu, ut in Ecclesiis Col-

¹ S. Rit. C. 29 Nov. 1856, ad 6.

² Rit. celebr. Missam, t. XIII, n. 2.

³ Caerem. Episc. l. I, c. 18, n. 16.

⁴ S. Rit. C. 20 Decemb. 1783, in Lusitan. ad 1; et 7 Decemb. 1844, in una Sanctimon. Capuccinarum.

legiatis et Cathedralibus; ad secundam vero Missam conventualem de Feria aut Vigilia non tenentur, ut nominatae Ecclesiae.

1009. Missa conventualis consideratur ut sollemnis, sive quoad Collectas, sive quoad numerum cereorum in Altari accendendorum ¹.

1010. Accenduntur in Missa conventuali quatuor candelae, et in solemnitatibus sex.

1011. Iuxta antiquam Ordinis consuetudinem spectat ad Hebdomadariam celebrare Missam conventualem; in quibusdam festis autem ad Superiorem.

1012. In Missa conventuali Clericus, si adsit, si vero non, Laicus, cotta indutus servire debet ².

1013. Cum nostra Missa conventuali seu sollemni coniuncta esse possunt et sunt (non semper): aspersione aquae benedictae, incensatio, osculum pacis, et Communio Fratrum Clericorum et Laicorum: de quibus in sequentibus.

1014. DE ASPERSIONE AQUAE BENEDICTAE. — Aqua pro aspersione populi benedicitur in Sacristia aut alio loco decenti, a Sacerdote superpelliceo et Stola violacea induto.

1015. Si vero diebus Dominicis benedicitur ab ipso Celebrante immediate ante Missam conventualem, hic Alba et Stola coloris diei indutus sit ³.

1016. Sal non toties, quoties fit benedictio aquae, est exorcizandus, sed semel exorcizatus et ad hoc conservatus servire potest toties quoties ⁴.

¹ S. Rit. C. 17 Dec. 1888, in una Ord. nostri, ad 7.

² Ibid., ad 6.

³ Missal. et Ritual. Rom., de Benedict. aquae.

⁴ S. Rit. C. 8 April. 1713.